

alius illud conferre valeat; Pius IV et S. Pius V, in citatis constitutionibus.

(29. Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debent cameræ Apostolicæ. Pius IV, et V, in citat. Constitutionibus.

(30. Quinta est, quod præfata pœnæ contrahantur non solum per *Simoniam realem*, sed etiam per *Simoniam conventionalem mistam*. Sanct. Pius V, cit. constitut. incip. *Intolerabilis*; ubi S. Pontifex decernit pœnas contra Simoniam confidentialem statutas incurri, licet « ipsa Simonia confidentialis alterius tantum partis conscientia sit completa. » Vide ipsam constitutionem relata *supra* artic. 1, n. 16.

(31. Quæ autem sint pœnæ statutæ contra dantes vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam? Vide *supra* art. 2, n. 35, ubi ad id affertur per extensum constituto Alexandri VII, de datis et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

(32. Quoad restitutionem Simoniacæ acceptorum, tenendum est pro certo, quod qui obtinuit Simoniacæ beneficium, seu officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem iudicis sententiam restituere ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima. C. *Si quis neque*, caus. 1, quæst. 1, cap. *Matthæus* 23, De Simonia; Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia; S. Pius V, constitut. 5, incip. *Cum primum*.

(33. Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto dandi, vel præstandi spirituale, et postea conditionem, seu pactum non implevit, tenetur jure divino et naturali restituere totum acceptum. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia sicuti dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus pauperi, facit ei injuriam et ad restitutionem tenetur, si pro dicta eleemosyna ipsi pauperi tradenda, ab eo exigat et accipiat pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quæ tanquam dispensator gratis distribuere debet juxta præceptum Domini, *Matthæi* x: *Gratis accepistis, gratis date*, temporalia exigit. Eo magis in nostro casu urget obligatio restitutionis ratione pacti expressi, quod non implevit.

(34. Qui pro electione, collatione, præsentatione, nominatione alicujus ad beneficium seu officium ecclesiasticum, aliquod temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem iudicis sententiam. Communis, et certa, textu expresso in cap. *De hoc* 11, De Simonia, ibi: « Reges et principes ejus debet inducere, ut si quæ receperint a præfato episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint. »

(35. Et quidem ad talem restitutionem tenetur de jure divino. Communis. Cum enim talis non sit dominus, sed dispensator solum hujusmodi rei spiritualis, et a Domino

Deo jussus, ut *gratis* distribuatur, *Matth. x: Gratis accepistis, gratis date*, facit injuriam Domino Deo, et illi, a quo pro re spirituali temporale exigit; sicque peccat contra justitiam, et consequenter tenetur ad restitutionem de jure divino.

(36. Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua beneficium existit, et non ipsi danti, præsertim post sententiam iudicis. Communis, et clare habetur ex cit. cap. *De hoc* 11, De Simonia, ubi expresse præcipitur, ut hujusmodi *Simoniacæ* accepta restituantur Ecclesiæ Oxoniensi.

(37. Advertunt tamen doctores cum sanct. Thoma, 2-2, quæst. 100, art. 6, ad tertium, posse tale temporale acceptum restitui pauperibus superioris arbitrio; imo multi asserunt jam legitime introductum esse, ut talia *Simoniacæ* accepta restituantur pauperibus, cum obligatio ea restituendi Ecclesiæ, et non alii, sit tantum lex humana seu ecclesiastica, cui potuit, et potest per legitimam consuetudinem derogari. Cap. *Cum tanto* 11, De consuetud.

(38. Ante sententiam tamen iudicis posse, imo deberi talia *Simoniacæ* accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt absolute Sotus, lib. ix, q. 9, art. 1, *De Simonia*, et § *Ad textum*; Moya, tract. 6, *Miscellan.* disputat. 4, quæst. 6, § 2, num. 13; Bannes, 2-2, quæst. 32, art. 7, dub. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 296 et 297. Et probabiliter Palao, *De Simonia*, punct. 26, num. 5; Lessius, lib. ii, cap. 36, dub. 31, num. 171, et alii.

\* His assentiri videtur Antoine art. cit., quæst. 20, resp. 4, ubi scribit: « Si Simonia non sit in beneficii materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit; quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit *Simoniacæ*, retinet dominium rei datæ, cum pactio *Simoniacæ* sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, et lex non prohibet reddi, quod *Simoniacæ* datum est, nisi Simonia fuerit realis in beneficio. Nam in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse mandanti, seu Ecclesiæ, agitur solum de Simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna cum sit quid odiosum non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imo cap. 19, *De Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui religionem *Simoniacæ* fuerat ingressus \* »

(39. *Simoniacæ* accepta pro ingressu in religionem possunt retineri a monasterio in communi usu, ad non ad specialem usum superioris, seu superiorissimæ, aut alterius singularis personæ, id enim, nampe quod talia *Simoniacæ* accepta communi monasterii usui, tanquam piæ causæ remanere et applicari possunt, expresse concessum fuit in Extravagant. *Sane* 1, De Simonia, ibi: « Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse notantur, volentes nos reddere gratiosos omnia recepta hujusmodi, si ad

communem usum monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri; si vero ad specialem usum abbatis vel abbatissæ, prioris aut priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. » Unde nullam esse obligationem ante iudicis sententiam restituendi *Simoniacæ* accepta in ingressu religionis, sed posse retineri et applicari, ut supra, expresse tenent Pirrhing., *loc. cit.*, n. 183; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 298; Palao, *De Simonia*, punct. 26; Lessius, lib. ii, cap. 35, dub. 30, et alii.

(40. *Simoniacæ* accepta pro collatione ordinis, et administratione aliorum sacramentorum, et sacramentalium restitui debent de jure divino, et consequenter ante omnem iudicis sententiam. Communis. Et ratio est clara, quia, cum talia, et similia spiritualia ex mandato Domini Dei, *Matth. x*, gratis conferri et administrari debeant, si quod temporale pro eorum collatione seu administratione exigatur, fit gravis injuria Domino Deo, et illis, a quibus exigitur, sicque peccatur contra justitiam, et insurgit obligatio id restituendi de jure divino.

(41. Et talis obligatio restituendi *Simoniacæ* accepta oritur etiam ex *Simonia mentali*; licet enim ex ipsa nulla incuratur juris pœna per dicta et jura adducta *supra* n. 2, oritur tamen onus restituendi temporalia *Simoniacæ* accepta: quod onus non est pœna juris, sed obligatio ex justitia et jure divino procedens ob injuriam illatam tertio; quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, propter quæ tales mentales *Simoniaci* « apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur, » ut expresse cavetur in cap. *Tua nos* 34, De Simonia.

Alia ad rem vide verb. ELECTIO, JUSPATRONATUS, PRÆSENTATIO, RESIGNATIO.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. Regulariter pœnæ contra *Simoniacos* haud incuruntur propter solam *Simoniam* conventionalem, ut recte notavit auctor, n. 3, et communiter tradunt Antonell., *De regim. Eccles.*, lib. vi, cap. 18, n. 13; Lotter, *De re benefic.*, lib. iii, quæst. 19, n. 150 et seq.; Novar., in summ. *Bullar. Commentar.* 117, n. 19; Panimoll., decis. 91, adnot. 1, n. 35; Rot., in recent. decis. 141, n. 16, part. xvi, et cum aliis in *Marianen. Beneficii* 28 Januar. 1745, § 8, cor. clar. mem. Millin.

(43. At in aliquibus casibus ex sola conventionali *Simonia* incurritur pœna nullitatis. Sic permutatio *Simoniacæ*, quamvis nihil adhuc datum, vel factum sit, irrita est, caretque suo effectu. Rota, *coram Crisp.*, decis. 102, n. 3, cor. Falconer., decis. 5, n. 10, *De benefic.*

(44. Idem dicendum de resignatione *Simoniacæ* labe infecta, ut respondit Rota, in *Paderbonen. Beneficii* 10 Martii 1747, § 2, *cor. reverendiss. Molino*, ibi: « Dubitari namque non potest, quin detestabile scelus *Simoniacæ*

*niacæ* pravitatis inducat omnino nullitatem resignationis, et beneficii privationem, etc. Quod procedit nedum in reali, verum in *Simonia* etiam conventionali, etsi effectu conventio caruerit, » et in confirmatoria 3 Junii 1747, § 1, cor. eodem.

(45. Et quod hic silentio prætereundum haud est, mox allegatæ *Decisiones in Paderbonen. Beneficii* magistrales sunt circa probationem *Simoniacæ*, et fere singulares, nam ut plurimum *Simonia* excludi solet ex defectu idonearum probationum.

(46. Num etiam in electionibus ex sola *Simonia* conventionali incuratur pœna nullitatis electionis? Vide apud Mayr, in *Decretal.*, lib. v, tit. 3, n. 138.

(47. De peculiaribus pœnis, quas incurunt *Simoniaci* pro varietate actuum, in quibus *Simonia* committitur, vide eundem Mayr, in *Decretal. dict.*, lib. v, dict. tit. 3, a n. 133 ad plur. seq.

#### ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt causas, et titulos excusantes a *Simonia*, vel pœnis, ac restitutione *Simoniacæ* acceptorum. Et quoad ea, quæ concernunt dispensationem in pœnis *Simoniacæ*, et absolutionem a censuris ob eam incurris, et iudicem, et testes quoad eam.

#### SUMMARIUM.

1. Causæ et tituli excusantes a *Simonia* recensentur. — 2. Ab incurso *Simonia* excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re. — 3. Item ab incurso *Simonia* excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest, ad tale spirituale obtinendum. — 4. Non excusat tamen ab incurso *Simonia* dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad tale spirituale obtinendum. — 5. Item non excusat ab incurso *Simonia* dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse valenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. — 6. Ab incurso *Simonia* excusat dare et exigere temporale propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum. — 7. Qualis sit et dicatur labor extrinsecus et intrinsecus. — 8. Ab incurso *Simonia* excusat etiam ignorantia vere invincibilis. — 9. Causæ omnes et tituli excusantes a *Simonia* culpa, excusant etiam ab ejus pœnis. — 10. Ignorantia tamen invincibilis pœnarum, censuris exceptis, non excusat ab eis ipsos *Simoniacos*. — 11. Et de facto transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorant. — 12. Ignorantia vero censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. — 13. Temporalia *Simoniacæ* accepta restituenda sunt, licet quis ea accipiendo ignoraverit se peccare. — 14. Præscriptio tamen legitima excusat a dicta restitutione *Simoniacæ* acceptorum; dummodo tamen habeat omnes condiciones ad ipsam necessarias. — 15. Ab excommunicatione incurra ob *Simoniam* commissam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. — 16. Possunt tamen absolvere ab ipsa, si sit occulta, episcopi et regulares

privilegiati. — 17. Solus autem Summus Pontifex absolvere potest a censuris, aliisque poenis incursis ob commissam Simoniam in susceptione et collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta. — 18. Si beneficium simplex Simoniacè fuit obtentum, beneficiario ignorante, potest episcopus dispensare, quod illud retinere, seu de novo acquirere possit, dummodo illud prius libere resignet. — 19. Idem potest episcopus, si est praelatura, aut dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem si per sententiam sit reprobata, seu cassata. — 20. In casu autem, quo talis Simoniacè electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium *illa vice* retinere aut de novo acquirere possit, sed debet tale prius alteri conferre, et postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus ei conferre. — 21. Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodecumque episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissæ est ab ipso beneficiario, vel ab alio ipso sciente et consentiente, etiamsi Simonia sit occulta. — 22. — Et id procedit nedum in foro externo, sed etiam interno. — 23. Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria. — 24. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in sacra penitentiaria. — 25. In causis Simoniacè solus iudex ecclesiasticus procedit, etiamsi reus sit laicus. — 26. Ad accensandos Simoniacos quivis testis etiam criminis admittitur. — 27. Alia ad rem ad n. 37.

(1. Causæ et tituli excusantes a Simonia sunt potissimum sequentes: I. Si temporale pro spirituali, aut econtra detur omnino gratis sine ullo explicito, et implicito pacto; patet ex dictis art. 1, a n. 29 ad 30. II. Si post acceptum spirituale detur temporale, aut econtra, ex mera gratitudine ad satisfaciendum obligatione *antidotali*; patet ex dictis citat., art. 1, n. 34. III. Si temporale detur, ne eligatur indignus, aut minus dignus; patet ex dictis art. 2, n. 17. IV. Si ministris Ecclesiæ dentur temporalia non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad eorum honestam sustentationem pro administratione sacramentorum et sacramentalium, pro missis et aliis functionibus spiritualibus; patet ex dictis art. 2, n. 26 et 33. V. Si spirituale conferatur propter preces armatas, sive grave metum incussum sine tamen ullo pacto; patet ex dictis art. 1, num. 40. VI. Si temporale detur ad redimendam vexationem injustam; patet ex dicendis *infra* n. 2 et 3. VII. Si temporale detur propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, et solum per accidens conjunctum; patet ex dicendis *infra* num. 6. VIII. Si interveniat ignorantia vere invincibilis; patet ex dicendis *infra* n. 8.

(2. Ab incursu Simoniacè excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re. *Communis*, arg. c. *Quæsitum* 4, caus. 3, quæst. 3, et cap. *Dilectus* 23, De Simonia, ubi Simoniacè non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexationem, quam patiebantur in jure jam quæsito, temporalia dederunt. Hinc S. Gregorius Magnus (ut ex Baronio refert Fagnanus in lib. vi, cap. *Nobis*, De Simonia,

n. 105, pecuniam dedit imperatori Mauritio, pro confirmatione sui Pontificatus sine labe Simoniacè, quia, cum jam haberet jus quæsitum, seu in re ad Pontificatum per legitimam electionem, dictam pecuniam non dedit pro jure aliquo spirituali, seu pro Pontificatu emendo, utpote quem jam jure quæsito habebat, sed pro tollenda injusta et violenta vexatione, qua a justo exercitio sui legitimi Pontificatus tyrannice impediatur, quod est quid temporale.

(3. Item ab incursu Simoniacè excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest ad tale spirituale, verb. gr. beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu non dat quis temporale pro acquirendo spirituali, cum conclusio supponat talem injuste vexationem nihil penitus prodesse posse ad tale spirituale acquirendum, sed dat solum, et præcise, ut injustus vexans impedimenta non ponat per suas iniquas machinationes, infamando v. g. et denigrando ipsum apud eligentem, præsentantem, conferentem, confirmantem; seu alias injuste agendo contra ipsum, ne eligatur, præsentetur, instituat, confirmetur, vel alias a beneficio acquirendo injuste et violente impediatur, uti injuste ipsum detinendo, aut quocumque modo impediendo, ne se conferat ad concursum, ad electionem, præsentatorem, collatorem, et hujusmodi: quæ omnia sunt quid mere temporale, et nihil positive influunt in beneficii seu officii ecclesiastici collationem et acquisitionem.

(4. Non excusat tamen ab incursu Simoniacè dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad spirituale, v. g. beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu temporale datum vel promissum alicui, ne in electione v. g. præsentatione, et hujusmodi injuste denegat votum suum, vel alias injuste denegat debitam institutionem, confirmationem, collationem, et hujusmodi, positive influit in collationem et acquisitionem spirituales, cum non aliter tollatur seu redimatur dicta injusta negatio voti, institutionis, confirmationis, collationis, etc., nisi per actualem dationem temporalem; unde tunc datum temporale habet rationem pretii; sic autem dare temporale, ut detur spirituale, est verissima Simonia: habetur expresse in cap. *Matthæus* 23, De Simonia; juncto ejus summario sic præcise dicente: « Si contradicens electo, pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione cessat, electus postea confirmatus est Simoniacus, et beneficio renuntiare tenetur. » Et concordat cap. *Sicut tuis* 33, eodem, ubi tam episcopus injuste negans confirmationem canonicè electo, quam illi, qui ad tollendam injustam episcopi vexationem pro obtinenda debita confirmatio-

ne pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur.

(5. Item non excusat ab incursu Simoniacè dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse volenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. *Communis*, arg. cap. *Cum pridem* 4, De pactis, cap. *Matthæus* 23, et cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia; et ratio est clara, quia, quando quis in beneficio acquirendo, seu acquisito juste impugnetur, seu juste impugnari potest, vel nullum jus habet, vel saltem non firmum ad dictum beneficium, adeoque si mediante pecunia, vel temporali justam impugnationem, seu vexationem tollit, sibi parat viam ad spirituale per temporale, et medio temporali jus ipsum spirituale, vel saltem ejus firmitatem sibi comparat, quod vere est Simoniacum; unde vera est Simonia dare pecuniam, aut aliud temporale alicui, ne electionem, præsentationem, collationem seu possessionem beneficii juste et de jure impugnet, aut a justa impugnatione desistat, et hujusmodi.

(6. Ab incursu Simoniacè excusat dare et exigere temporale propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum. *Communis*. Et ratio est clara, quia labor extrinsecus est distinctus ab ipsa actione sacra et functione spirituali, licet per accidens sit ei conjunctus, adeoque retinet suum valorem, quem ex se tanquam quid temporale distinctum ab ipsa actione sacra habet, sicque propter ipsum absque incursu Simoniacè potest dari et exigi temporale, cum non sit Simonia dari, et exigi temporale pro temporali. Econtra tamen, quia labor intrinsecus non distinguitur ab ipsa actione sacra et functione spirituali, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque est sacer, dari et exigi temporale pro ipso erit Simonia, per textum in cap. *Si quis objecerit* 7, caus. 1, quæst. 3, ibi: « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

(7. Ille autem labor est, et dicitur extrinsecus functioni sacrae seu ministerio spirituali, et ei per accidens conjunctus, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale, adhuc in se bene fieri potest. Sic, v. gr. labor extrinsecus, et per accidens conjunctus celebrationi missæ, est itineratio per unam vel alteram horam ad locum distantem: unde cum talis itineratio ad celebrandam missam in dicto loco distanti sit quid temporale, non est Simonia pro ipsa dare et exigere temporale. Labor intrinsecus econtra est, et dicitur ille, sine quo functio sacra seu ministerium spirituale fieri nequit, sic verb. gr. pronuntiatio verborum, motus membrorum, et hujusmodi est labor missæ intrinsecus, eo quod sine isto et simili labore missa celebrari nequeat. Sic doctores communiter; unde cum talis pronuntiatio verborum, et motus corporis, utpote labor intrinsecus et necessarius pro

celebratione missæ, et consequenter ab ipsa indistinctus, sit unum totum sacrum cum ipsa efficiens, ideo pro ipso solo nequit aliquid temporale pro pretio dari et exigi sine labe Simoniacè, cum sic esset vendere et emere spirituale pro temporali.

(8. Ab incursu Simoniacè excusat etiam ignorantia vere invincibilis. *Communis*. Et ratio est clarissima, quia ad peccatum requiritur consensus; ignorantis autem nullus est consensus. L. *Si per errorem* 15, ff. *De jurisdict. omnium judicum*, l. *Non idcirco* 9, cod. *De jur. et fact. ignorantia*; unde si ignorantia invincibilis per communissimam doctorum excusat ab omni peccato, excusabit infallibiliter etiam a culpa Simoniacè.

(9. Causæ omnes et tituli excusantes a Simoniacè culpa, excusant etiam ab ejus poenis. *Communis*. Ubi enim nulla est culpa, ibi nulla debet esse pœna. Arg. leg. *Si putatur* 31, ff. *Ad legem Aquilianam*, leg. *Sancimus* 22, cod. *De poenis*, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, ibi: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, » cap. *Sine culpa* 23, De regul. juris in 6, ibi: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. »

(10. Ignorantia tamen invincibilis poenarum ob culpam Simoniacè ab Ecclesia statutarum, ab eis non excusat, censuris exceptis, ipsos Simoniacos. *Communis*. Ignorantia enim solius poenæ non tollit causam poenæ, id est culpam, adeoque nec effectum, seu ipsam poenam. (11. Et de facto delinquentes contra alias leges sub certa poena aliquid prohibente, eadem poena justissime plectuntur, quamvis ignorent ipsam poenam, sub qua lex talia delicta prohibet; nec indiget hoc ulteriori probatione, cum quotidiana id demonstret experientia, et praxis omnium tribunalium ecclesiasticorum et laicalium, qua constat delinquentes, et legum transgressores variis affici poenis, rotæ, combustionis, patibuli, decollationis, et hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta a se committenda et commissæ poenis hujusmodi subjacere.

(12. Notanter autem dicitur *censuris exceptis*, quia ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. *Communis*, textu expresso in cap. *Ut animarum periculis* 2, De constitutionibus in 6, ibi: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dummodo eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Et ratio manifesta est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, cap. *Qua fronte* 15, De appellationibus, ibi: « Sane si quis pro contumacia... interdicto vel excommunicatione tenetur astrictus, » cum similibus. Contumacia autem non adest, ubi ignorantia censuræ habetur, cum ignorantia excuset a contemptu et contumacia, leg. *Si ignorans* 50, ff. *Locati*.

(13. Quamvis temporalia Simoniacè accepta restituenda sint, licet quis ea acci-

piendo ignoraverit se peccare; cum obligatio talis restitutionis oriatur non tam a jure humano, seu ecclesiastico, quam a jure divino, seu naturali ex dictis art. 3, n. 32, ad 35, et consequenter, qui ea Simoniace accepit, restituere teneatur statim ac rescit illa tanquam aliena restitutioni esse obnoxia, etiamsi prius ipsa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter doctores; (14. Tamen præscriptio legitima excusat a dicta restitutione Simoniace acceptorum; dummodo tamen ad ipsam præscriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipsam necessariæ, de quibus abunde sub verb. PRÆSCRIPTIO per tot. Vide *ibi*, ubi plurima ad rem.

(15. Ab excommunicatione incursa ob commissam Simoniam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico solus Papa absolvere potest. *Communis*. Papa enim sibi illam specialiter reservavit in Extravag. *Sane 1*, et *Cum detestabile 2*, De Simonia.

(16. Ex privilegio tamen, quo regulares mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis (qua de re legenda Appendix ad verb. CONFESSARIUS, artic. 4), possunt etiam absolvere ab ista excommunicatione, dummodo non sit publica, et ad forum contentiosum deducta. Ita Suarez, l. 4, De Simonia c. 61, num. 4; Castropal., De Simonia, punct. ult., n. 2; Reiffenstuel, lib. v. *Decretal.*, tit. 3, n. 334, et alii. Sicut et posse episcopos absolvere a Simonia occulta declaravit sacra congregat. apud Castropal., De Simonia, punct. ult. n. 3; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 340 in fine.

(17. Solus autem Summus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione, suspensione et interdicto, aliisque pœnis incursis ob commissam Simoniam in subreptione et collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta; sic enim sibi expresse reservavit Sixtus V, constitut. 10, incip. *Sanctum et salutare*, cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam concilii Tridentini, sess. xxiv, De reform., cap. 6. Vi cujus episcopi alias possunt « in omnibus irregularitatibus et suspensionibus a delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diocesi sua per seipsum, aut vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientie gratis absolvere; » sunt verba præcisa concilii. Nec quoad hoc dicta constitutio Sixti V est moderata aut revocata a Clemente VIII, constit. 41, incip. *Romanum Pontificem*, ut patet ex dictis supra art. 3, n. 11. Quamvis tamen circa id non esse dictam Sixti V Bullam ubique receptam putet Lessius, lib. II, c. 35, dub. 24, n. 134, apud Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 333.

(18. Si beneficium simplex Simoniace fuit obtentum ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de

novo acquirere et retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. *Communis*, textu expresso in c. *Si alicujus* 56, De electione, *ibi*: « Quavis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, episcopi dispensatio toleretur. »

(19. Idem potest episcopus, si est prælatura, aut dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem, si per sententiam sit reprobata, seu cassata. *Cit. cap. Si alicujus*, *ibi*: « Si alicujus electionem propter Simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super prælature, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest episcopus dispensare, » juncto summario, *ibid.*, sic expresse sonante: « Cassata electione propter Simoniam etiam sine culpa electi, non dispensat episcopus ea vice cum cassato; secus, si electus libere resignavit; » Reiffenstuel, *loc. cit.*, 337, et alii. (20. In casu autem, quo talis Simoniaca electio seu collatio reprobata seu cassata fuerit per sententiam, non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium illa vice retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, et postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali Simoniam ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta Simoniaca purgabitur per intermediam personam, ut notat Glossa communiter recepta in *cit. cap. Si alicujus*, verb. *Ille vice*, per textum in cap. *Ex transmissa* 7, De filiis presbyterorum, *ibi*: « Quo defuncto media intercessit persona, cui prædictum beneficium est collatum. » Et tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 337, et alii communiter argument. *cit. cap. Si alicujus* 59, De electione.

(21. Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodcumque episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissæ est ab ipso beneficiario, vel ab alio, ipso sciente et consentiente, etiamsi Simonia sit occulta; tunc enim talis Simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium Simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quæcumque alia beneficia per jura et constitution. Pontific. *cit. supra art. 3, n. 15 et 17*. Super quibus episcopus dispensare nequit. *Cap. Inferior* 4, dist. 22, cap. *Nulli fas sit* 25, qu. 1, cap. *Institutionis* 25, qu. 2, cap. *Quod super his* 9, et cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obed., Clement. *Ne Romani* § 1, De electione, *ibi*: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. »

(22. Et id procedit, nedum in foro externo, ut tenent doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit sac. congreg. apud Castropal., De Simonia, punct. ult., n. 3, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 340, his verbis: « Episcopus, etsi a Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad be-

neficia in posterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam retinet. » Et sic tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Suarez, lib. IV, De Simonia cap. 61, n. 10 et 11, et communissima aliorum, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 140, dicente jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, et paucorum aliorum putantium probabile esse, quod episcopus pro foro interno dispensare possit, si Simonia sit occulta.

(23. Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria. Pyrr. Corrad., in *Praxi dispensation.*, lib. V, cap. 9, n. 13 et 14; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 343, et alii passim. (24. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in sacra Pœnitentiaria. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 344.

(25. In causis Simoniæ solus iudex ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit laicus. Jul. Clar., lib. V, § *Simoniam*, num. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 142; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 348; Abbas, in cap. *Cum sit* 8, De foro competen., et *ibi* Glossa verb. *Malefactores*, et alii communiter: Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia est causa spiritualis; causarum autem spiritualium cognitio, et sententiæ pronuntiatio pertinet ad solos iudices ecclesiasticos, private quoad laicos, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, De judiciis, *ibi*: « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. » Et concordat cap. *Lator* 5, cap. *Causam quæ* 7, Qui filii sunt legitimi, cap. *Contingit* 8, De arbitris, cum similibus.

(26. Ad accusandos Simoniacos quivis testis etiam criminosis admittitur, textu expresso in cap. *Tanta* 7, De Simonia *ibi*: « Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, et quilibet criminosis admittuntur ad accusationem. » et concordant cap. *Licet Heli* 31, et c. *Per tuas* 32, eodem.

(27. In Simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, pœnitentiaria non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, et in foro conscientie (in quo tamen dispensat ad exercitium ordinum), nisi forte agatur de Simonia ignorantia facti vel juris commissæ, et orator, quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus Simonia realis scienter contracta fuerit. Be-

#### SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

##### SUMMARIUM.

1. Societas quid sit? — 2. Ad societatem quaestuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 3. Contractus vulgo dictus trium contractuum secundum multos est illicitus et usurarius. — 4. Secundum tamen communiorem et probabiliorum sententiam est licitus, et minime usurarius. — 5. Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. — 6. Assignatur regula pro determinanda quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi. — 7. Adducitur fundamentum hujus sententiæ deductum ex jure. —

nedict. XIV, tom. I, constitutione 95, incipient. *Pastor bonus*, § 22.

(28. \* Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii Simoniaci, quando in Ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *Ibid.*, § 23.

(29. Qui Simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiæ vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos ante omnem sententiam. *Instil. eccles.*, 12, § 11.

(30. Si quis poscat a S. congregatione absolutionem a Simonia commissæ in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat, moneat et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti ecclesiæ, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, *ibid.*, § 12.

(31. Si vero Simonia commissæ est ab aliquo tertio, in scio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo ante possessionem; quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *Ibid.*, § 12.

##### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Summus Pontifex tametsi ea, qua pollet amplissima potestate, dispensare valeat super pœnis Simoniæ, in foro tum interno, tum externo, rarissime tamen hac potestate uti solet, teste Corrado, in *Prax. dispensat.*, lib. I, cap. 9, n. 13.

(33. Quinimo nunquam Simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo Simonia commissæ est, si eo sciente commissæ sit. Idem auctor *ubi supra*.

(34. Cæterum si ignorante proviso Simonia sit commissæ, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert.

(35. Porro ubi Simonia sit publica, recursus haberi debet ad datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, et exprimi debent fructus ex beneficio Simoniace acquisito percepti, cum debeantur ii cameræ Apostolicæ, licet nunquam pro ipsis fieri soleat transactio.

(36. A proviso autem cum ignorantia Simoniæ sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam Simoniæ, cum priores lucretur.

(37. At si Simonia sit occulta, recursus habetur ad sacram Pœnitentiariam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum.

8. Adducitur etiam ratio. — 9. Affertur et solvitur instantia. — 10. Affertur et solvitur alia instantia. — 11. Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis. — 12. In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, damnum censetur commune. — 13. Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad dictum damnum. — 14. Ex dictis infertur primo, quod si res tradita in societatem fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, teneatur ille, cui data fuerit, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. — 15. Infertur secundo, quod non solum teneatur socius ex dolo,